Brahe, Tyge
Opera omnia

TYCHONIS BRAHE
OPERA OMNIA
TOMUS XV

HAUNIÆ MCMXXIX

TYCHONIS BRAHE DANI
OPERA OMNIA

Auspiciis Societatis linguæ et litterarum Danicarum
(Det Danske Sprog- og Litteratur-Selskab)

TYCHONIS BRAHE DANI
OPERA OMNIA

EDIDIT

I. L. E. DREYER

TOMUS XV

HAUNIÆ MCMXXIX
IN LIBRARIA GYLDENDALIANA
TYPIS NIELSEN & LYDICHE (AXEL SIMMELKIÆR)

INDEX HOMINUM ET RERUM

CONFECERUNT

I. L. E. DREYER ET IOANNES RÆDER

PRÆMISSA EST CARMINUM APPENDIX

SUMPTUS FECERUNT INSTITUTUM CARLSBERGICUM
ET INSTITUTUM RASK-ŒRSTEDIANUM

HAUNIÆ MCMXXIX
IN LIBRARIA GYLDENDALIANA
TYPIS NIELSEN & LYDICHE (AXEL SIMMELKIÆR)

PRÆFATIO SOCIETATIS LINGUÆ ET LITTERARUM DANICARUM.

ULTIMUM TYCHONIS BRAHE *Operum omnium* tomum emittentes ea, quam ab initio promisimus, bibliographia et iconographia sine damno supersederi posse nobis visum esse profitemur. Hæc enim nunc minus desiderari videtur, cum in bibliographia Danica, quam confecit H. EHRENCRON-MUELLER, Regiæ Bibliothecæ Hauniensis bibliothecarius (*Forfatterlexikon omfattende Danmark, Norge og Island indtil 1814* II. 1925. p. 15 sqq.), libri, quos scripsit Tycho, et qui de ipso scripti sunt, copiose enumerentur.

Index hominum et rerum, quem præbet hic tomus, ita confectus est, ut ad tomos I—III et partem tomi IV locos, qui in illum recipiendi erant, exscripserit I. L. E. DREYER; reliqua exscripsit totumque in ordinem redegit IOANNES RÆDER. Ceterum monendum est *Astronomiæ instauratæ Progymnasmatum* libri primi indicem rerum a Keplero confectum in tom. III p. 324 sqq., indicem locupletiorem virorum doctorum, quorum in epistolis mentio fit, in tom. VIII p. 452 sqq., indicem hominum inter mutationes aeris commemoratorum in tom. IX p. 344 sqq. reperiri. Hujus indicis paginas in eo, quem nunc edimus, indice satis habuimus afferre, cum inutile nobis visum sit omnes locos libri de mutationibus aeris, ubi hominis alicujus mentio fit, iterum indicare.

Editione operum Tychonis omnium ad finem tandem perducta, virum excellentissimum G. A. HAGEMANNUM grata mente recordamur, qui dono suo amplissimo effecit, ut scripta Tychonis astronomica edi possent. Rogamus deinde magna illa Instituta, CARLSBERGICUM et RASK-ŒRSTEDIANUM, quorum illud ad observationes edendas, hoc ad epistolarum astronomicarum et scriptorum variorum atque epistolarum actorumque editionem perficiendam sumptus fecit munificentissime, ut gratias nostras sinceras accipere dignentur. Animo tamen gratissimo ad illum virum respicimus, qui monumentum hoc, quod decori esset magno astronomo Dano, primus erigere instituit et ad ultimum suum diem ei perficiendo omnibus viribus operam dabat, I. L. E. DREYERUM.

HAUNIÆ, MENSE OCTOBRI ANNI MCMXXIX.

CARMINUM APPENDIX

[Ex epitaphio templi Wäsby Scaniæ et S. Bringii *Monumentis Scanensibus* (Lund. Goth. 1748) p. 234 sq.]

MEMORIÆ S.

CLAUDIUS hic parva tranquillus clauditur arca,
Cui vivo in toto non foret orbe quies.
Hunc natura ſemel terris monſtravit et illic
Conceßit ſaltem ſex ſupereße dies,
Ut tener et levior mortali labe ſolutus
Ad ſuperos nullo pondere tardus eat;
Tempora pro modicis ubi nunc æterna diebus
Poßidet et placida pace potitus ovat.

Obijt Anno Domini MDLXXVII Januarij die VIII,
Natus eiusdem die II.

Naſcentes morimur
et
Morientes renaſcimur.

Claudio dilecto filiolo naturali ob feſtinum hinc
in æternitatem disceßum ſibi non viſo

TYCHO BRAHE
F. & P.

[E codice Hauniensi coll. Thott. 1044 in 4°]

ET GENERIS ET INGENIJ NOBILITATE JUVENI CLARO ERICO LANGE, DN. DE ERIGSTHOLM, PRÆSIDI ARCIS BYGHOLMENSIS, AMICO SUO INTEGERRIMO.

S. D.

HANC tibi Tycho tuus transmittit Erice ſalutem,
Si qveat ulla ſalus eße, ubi regnat amor.
Omnis amans animo langvet, nec corpore firmo eſt;
Eſt res plena adeo debilitatis amor.
Nunqvam ſecum habitans, alieno in corpore vivit
Is, qvem ſolliciti tangit amoris amor.
Invidet alternam reqviem placidumqve ſoporem,
Dum vigilat pernox irreqvietus amor.
Muſarumqve choros, pulcher qvos ducit Apollo,
Et ſuperum laudes non bene novit amor.
Nec ſecreta capit Veſtalibus abdita ſacris,
Qvamvis igne magis ferveat omnis amor.

Lucidaqve

Lucidaqve aſtra poli, ſublimia templa Deorum,
  Nec bene utroqve videt lumine captus amor.
Sic nunqvam reditura iterum juvenilia perdit
  Tempora, dum nimium tempora torqvet amor.
Sic fruſtrare ſolet properantis commoda vitæ,
  Dum vivo qvid ſit vivere neſcit amor.
Hæc et mille alias cum ſecum incommoda portet,
  Qvamvis nulla qveat cernere cœcus amor,
Cur flagrante volens furtim te conficis igne?
  Cur tibi tam charus non sat amicus amor?
Deſine perpetuo ſentire Cupidinis arcus,
  Deſine, nec conſtans pectora lædat amor.
Et ſi noße velis, qvis ſit modus, unde licebit
  Evitare ictus, qvos jaculatur amor,
Accipe, ſed caveas, ne nominis implicet error;
  Fac novus alterius ſit medicamen amor.
Sic te blanda Venus per tela Cupidinis urget,
  Palladis egregius ſubſtituatur amor.
Si nocturna qvies nimium fruſtratur amore,
  Urania aſtriferæ ſit tibi noctis amor.
Sive Cupidineo te nox qvoqve conficit igne,
  Sit tibi Veſtarum lucidus ignis amor.
Deniqve qvicqvid erit, leviter qvod nectit amorem,
  Et gravis et melior fac cito pellat amor.
Sic amor alterius fiet medicamen amoris:
  Omnia qvi vincit, ſe qvoqve vincat amor.
Tu modo, ſi dubitas, notam te confer ad arcem
  Uraniæ, inſvetus hic tibi creſcit amor.
Creſcet, et alterius fervor decreſcet Amoris;
  Hic in amore potes diſcere qvid ſit amor.
Seu juvet Æthereas mundi ſpecularier arces,
  Ætheris intrabit pectora mirus amor:
Seu magis igniferas placeat ſcrutarier artes,
  Magnus in igne aderit, cum fiet ignis, amor.
Muſarumqve choros dulces et Apollinis arces,
  Qvas Charites redamant, numne repellat amor?
Singula qvid referam? Veri penetralia amoris
  Qvando ſubire datur, vanus abibit amor.
Hæc tibi Tychonis, qvo te multumqve diuqve
  Proſeqvitur, charus ſcribere jußit amor.
Nec ſcripſiße ſatis fuerat, niſi preßa veniret
  Littera, ſuppreßus qvâ vetus iret amor.

Preßis

Preßis ille tuo reſidens in corde lituris
  Scilicet eſt preßis obliterandus amor.
Vt novus et melior, qvi te revocetqve juvetqve,
  Impreßus menti reſtituatur amor.
Imprimere Uraniæ Muſæ, Vulcanus, Apollo
  Qvem poterint, vanus qvando peribit amor?
Id ſi noſter amor, ſi typi et littera preßa
  Expedient, aderit mox tibi qvantus amor?
Magnus is eſt, fateor, qvo nunc torqveris amore,
  Parvus erit, veniet cum tibi verus amor.
Nec fruſtra hunc veteres parvum finxêre Poëtæ,
  Cum neqve ſit magnus ſit neque fixus amor.
Sydera nec vincit penetrat nec viſcera terræ,
  Sed perit in minimis iſte puſillus amor.
Verior et major typis tua pectora noſtris
  Muſa omnes ſuperos orat ut intret amor.
Sin minus et ſolidum nunc aſpernaris amorem,
  Forte olim dices: ſicne fefellit amor?
Sicne fefellit amor? bona ſic mihi tempora ademit?
  Tunc etiam nolles, iſte fuißet amor.
Sed cave ne ſero nimium, cum occaſio calva
  Aufugiet, pectus ſerior intret amor;
Pœnitet hunc fruſtra, qvem ſero pœnitet, et cum
  Nulla ſalus reſtat, ſtat qvoqve nullus amor.
Nunc igitur vigor ingenij et tibi firma juventus
  Cum ſiet, aßvetus fac valedicat amor.
Inſvetus ſubeat, validum qvi corpore, mente,
  Artibus, ingenio te tibi reddat amor.
Utqve valere qveas, qvod amoris liber et igne
  Efficies, dicit nunc vale firmus amor.

EPILOGUS.

Si non vis ſolidum, ſtolidum ſecteris amorem,
  In ſtolido ſolidi ſurget amoris AMOR.

Datum Vraniburgi
Anno 1584, 9 Calend. Decembr.

T.

TYCHO BRAHE.

ANNOTATIONES

ANNOTATIONES EDITORIS.

CUM epitaphio Claudio filio Tychonis consecrato, quod in Tychonis carminibus edendis nos latuit, conferri potest alterum Kirstinæ filiæ consecratum (tom. IX p. 174 sq.).

Carmen Erico Lange scriptum ante annos paucos in codice Hauniensi coll. Thott. 1044 in 4° invenit C. Behrend, bibliothecarius Regiæ Bibliothecæ Hauniensis. Scriptus est hic codex a. 1640 sqq., inscribitur autem *Gemmulæ selectiores per Achillem Andream Toxotium* (i. e. Skytte). Inter varii generis annotationes et commentarios continet carmen, quod nunc primum editur. Sicut alia carmina Tychonis, quæ edidimus in tom. IX pp. 176—177 et 179—190, hoc quoque in ipsius typographia descriptum esse videtur, sed omnia exempla typis descripta perierunt. Designat ipse in carmine Jacobo Ulfeldio scripto (tom. IX p. 179,$_{9}$). De Erico Lange, amico Tychonis, qui Sophiam sororem ejus postea in matrimonium duxit, conferatur carmen *Urania Titani* (tom. IX p. 193 sqq.) cum annotationibus nostris. Ceterum dubitari potest, hujusne amore jam a. 1584 captus fuerit.

ad p. 3,$_{22}$] *GENERIS* scripsimus collatis locis tom. VIII p. 3,$_{29}$, p. 8,$_{26}$, p. 10,$_{12}$, p. 77,$_{29-30}$, tom. IX p. 179,$_{2}$: *GENIJ* cod.

ad p. 3,$_{35}$] *choros* correctum est in cod. (e *cohors?*).

ad p. 4,$_{13}$] supra *velis* in cod. scriptum est *cupis*, et in margine addita sunt verba *noſcere ſi cupias*.

ad p. 4,$_{21}$] supra *conficit* in cod. scriptum est *concoqvit*.

ad p. 4,$_{28}$] supra *hic* in cod. scriptum est *ſic*.

ad p. 5,$_{16}$] *ut* Behrend: *et* cod.

INDEX

INDEX HOMINUM ET RERUM

INDEX HOMINUM ET RERUM

ADDENDA ET CORRIGENDA
AD TOMOS I—XIV.

In tomo IX afferuntur, quæ ad tomos I—IX addenda et corrigenda sunt. Quæ in tomis X, XIII, XIV minus recte expressa sint, iisdem in tomis indicatur. Hic pauca adduntur, quæ postea inventa sunt.

Tom. I.

Ad p. LV v. 24 pro *Decembri* leg. *Septembri*.

Tom. III.

Ad p. 6 v. 20 pro *Stellæ* leg. *Stella*.
Ad p. 341 v. 21 pro *Cœlistis* leg. *Cœlestis*.
Ad p. 410 v. 14 pro *perfectam* leg. *perfectum*.

Tom. IV.

Ad p. 86 v. 33 pro *moto* leg. *motu*.

Tom. V.

Ad p. 71 v. 2 pro *145* leg. *345*.
Ad p. 107 v. 5 pro *quemodmodum* leg. *quemadmodum*.

Tom. VI.

Ad p. 336 v. 1 cf. Hor. Sat. II 1, 77 sq. (item ad tom. VII p. 340 v. 31).

Tom. VIII.

Ad p. 457 Ioannem Baptistam Hainzelium septemvirum, Paulum (non Petrum) fratrem consulem fuisse dicendum fuit.

Tom. IX.

Ad p. 82 col. 2 v. 40 pro *obijt* leg. *abijt*.
Ad p. 209 v. 5: Qui Hvenam missi sunt, fuerunt Thomas Fincke et Ivarus Stub professores (vid. tom. XIV p. 105).

Tom. XIII.

Ad p. 283 v. 2 pro *moram* leg. *morem*.

Tom. XIV.

Ad p. 316 v. 22 pro *par* leg. *per*.

QUÆ QUINTO DECIMO TOMO CONTINENTUR.



TYPIS DESCRIPSERUNT NIELSEN & LYDICHE
(AXEL SIMMELKIÆR)
CHARTAM PRÆBUERUNT OFFICINÆ CHARTARIÆ
CONSOCIATÆ (DE FORENEDE PAPIRFABRIKKER)
QUÆ LUCIS OPE EXPRIMENDA ERANT
EXPRESSIT F. HENDRIKSEN
NUMERUS EXEMPLORUM VENALIUM: 225

QUINTUS DECIMUS TOMUS PRELUM RELIQUIT
D. 1. M. NOVEMBRIS
ANNO
MCMXXIX

KØBENHAVN. — NIELSEN & LYDICHE (AXEL SIMMELKIÆR)